



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

58. Ad Pastoralis dignitatis &c. Erectio nonnullorum Conventuum
Provinciarum Lombardiæ, & Romanæ Ordinis Fratrum Prædicatorum in
duas novas Congregationes, sub Sanctæ Sabinæ utriusque Lombardiæ, ac

...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

atum Simonem Vicarium Generalem Congregationis huiusmodi, sicut praeimitur, constitueramus, in eo lecta, ac unanimi consensu, ut parerat recepta fuerunt, dubioque ibidem proposito quodnam ex dictis duobus Capitulis Provincialibus memoratae Provinciae Aragoniae validum & confirmandum esset, declaratum fuit Capitulum ab excommunicatis celebratum nullum, & invalidum fuisse, è contra verò Capitulum ab aliis celebratum validum, & legitimum, illudque proinde non modo ab eodem Capitulo Generali, sed etiam à supradicto Federico Archiepiscopo, & Nuncio confirmatum fuit, injunctumque toti Provinciae praefatae sub poena excommunicationis per contrascentes incurrenda, ut Provincialem à non excommunicatis electum reciperent, & recognoscerent, eique, nequaquam vero alteri à ceteris electo obedirent.

Confirmat
ut in rubr.

§. 9. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Fratres excommunicati, alique eis adhaerentes praedicti in sua Rebellionem, & pertinaciam cum suo Provinciali adhuc perseverent, adeò ut duo Provinciales in dicta Provincia Aragonae habeantur, ac exinde graves in ea perturbationes, & inquietudines cum magna non solum eorum, qui in ipsa Congregatione Fratrum Discalceatorum, sed etiam aliorum, qui extra eam sunt, offensione exortae sint. Nobis propterea dicti exponentes, ut dissensionibus, quibus dicta Provincia Aragoniae agitur, finis imponatur, humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes & eorum singulares personas à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus incliti, de memoratorum Cardinalium, qui Patribus informantibus supradictum Capitulum Generale confirmandum & pro illius sanatione ad cautelam Nobis supplicandum esse censuerunt, consilio, Capitulum Generale praedictum auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, eique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac illud quatenus opus sit, ad cautelam sanamus, & convalidamus, ac omnes & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenierint supplemus, salva tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis Cardinalium.

Decretum
roborans
& irritans.

§. 10. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio
contra-
ctis.

§. 11. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis & Congregationis Fratrum Discalceatorum, & Provinciae praefatarum, aliisque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum,

hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1695. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

J. F. Card. ALBANUS.

Loco + Signilli.

Erectio nonnullorum Conventuum Provinciarum Lombardiae, & Romanae Ordinis Fratrum Praedicatorum in duas novas Congregationes, sub Sanctae Sabinae utriusque Lombardiae, ac Sancti Marci Romanae respectivè Provinciarum huiusmodi titulis nuncupandas.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem Divinae sapientiae, atque bonitatis abundantiam evecti, in id praecipue peculiari studio, summaque animi contentione incumbimus, ut prospere, felicique Christiani in sortem Domini assumptorum, & Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum statui, regimini, & progressui, quantum Nobis ex Alto conceditur, providere jugiter satagamus.

Exordium
à vigilan-
tia provi-
dendi sta-
tui prope-
ro Religio-
forum.

§. 1. Ac proinde novas ejusmodi Religiosorum Virorum Congregationes pro data Nobis coelitus potestate interdum instituimus, sicut personarum, locorum, rerum, & temporum qualitatibus maturae considerationis trutinā perpenis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Religionis incrementum, Spiritualeque Christiani aedificationem, & Animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

Ad hunc
effectum
quando-
que insti-
tuantur
Congre-
gationes.

§. 2. Regularem itaque disciplinam in Provinciis Lombardiae, & Romanae Ordinis Fratrum Praedicatorum custodire, ac promovere, eamque quò ad perfectae maturitatis frugem, aspirante superni favoris auxilio, provecta, Ecclesiam Domini uberioribus in dies bonorum operum fructibus laetificet, Apostolicae benignitatis favoribus excolere, ac felici infrascriptorum Conventuum earumdem Provinciarum, Fratrumque in eis degentium statui, & gubernio, ac incremento salubriter consulere cupientes, necnon eorumdem Fratrum singulares personas à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum super Disciplina Regulari specialiter à Nobis deputatorum consilio, ac Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostri, deque Apostolicae potestatis plenitudine Conventus Sanctae Sabinae de Urbe, Sancti Dominici Ravennaten., Sancti Dominici Ferrariensis, Sancti Dominici Civitatis Sancti Severini, Sanctae Crucis, & Omnium Sanctorum Oppidi Boschi Dertonen., & Sanctae Catharinae Oppidi, seu Loci Tridini Casalen. respectivè Dioecesium primordiae: Nec non Sancti Marci Florentin., Sancti Dominici Fesulan., & ejusdem Sancti Dominici Civitatis Sancti Miniatis, ac Hospitium Liburni Pisan. Dioecesis, secundo dictae respectivè Provinciarum, eorumque Fratres, & personas quascunque cum omnibus, & singulis illorum membris, Juribus, & pertinentiis universis ab

Idem in
Provinciis
Lombardiae, & Ro-
manae in-
stituendas
Congre-
gationes.

Conven-
tus Con-
gregatio-
nis Lom-
bardiae.

Conven-
tus Con-
gregatio-
nis Roma-
nae.

omni,

Congregationes hujusmodi sint sub immediata Jurisdictione Magistri Generalis.

Vita Communis servanda in his Congregationibus.

De qualitatibus Vicarii Generalis, uniuscujusque Congregationis.

Vicariatu vacante ante complementum temporis, quomodo providendum.

De auctoritate Vic. Generalis.

Advenientes Religiosi quomodo, & quando incorporandi.

Existentibus de Congregatione, & incorporatis difficile conce-

omni, & quacunque Jurisdictione, Superioritate, Correctione, Visitatione, Regimine, Cura, & Gubernio dilectorum filiorum modernorum, & pro tempore existentium Priorum, Provincialium earundem Provinciarum tam in Spiritualibus, quam in temporalibus tenore praesentium perpetuo eximimus, & plenarie liberamus.

§. 3. Ipsosque Conventus in duas novas, primam nimirum sub Sanctae Sabinae utriusque Lombardiae, secundam vero sub Sancti Marci Romanae respective Provinciarum ejusdem Ordinis titulis nuncupandas Congregationes, quae dilecto filio moderato, & pro tempore existenti Magistro Generali, sive ejus loco in eadem Romana Curia pro tempore residenti Vicario Generali Ordinis hujusmodi immediate subiacere debeant, ita ut in illas nulli alii ipsius Ordinis Superiores, praeterquam earum Vicarii, ceterique earundem Congregationum Praelati juxta morem deputati soliti potestatem aliquam valeant exercere, Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine, ac tenore praefatis patiter perpetuo erigimus, & instituiamus.

§. 4. Caeterum in omnibus Conventibus de praesenti spectantibus, & qui deinceps spectabunt ad dictas Congregationes sic à Nobis erectas, & institutas Fratres omnes ad Regulam, quam professi fuerunt, praescriptum exacte vitam instituire, & componere, atque illa, quae Communem vitam, Vicium, & Vestitum concernunt, juxta Concilii Tridentini, ac felicitis recordationis Clementis Papae Octavi Praedecessoris Nostri decretorum tenorem fideliter, ac inviolabiliter observare debeant, & omnino teneantur.

§. 5. Utrique verò Congregationi de idoneo Vicario Generali ex Fratribus alicujus ex Conventibus ejus Congregationis, cui is praescindendus erit, qui illam, adjuvante Domino, salubriter dirigere valeat, quique in Conventibus hujusmodi saltem per septennium exactae Regularis Observantiae specimen dederit, & quantum fieri potest alicui ex illis laudabiliter praefuerit, à Magistro Generali praefato de Biennio in Biennium provideatur.

§. 6. Quod si Vicarium sic institutum ante completum sui Vicariatus tempus ab humanis decedere contigerit, is, qui Vicarii Officio novissime functus fuerit, quatenus adsit, sin minus, Prior antiquioris Conventus ejus Congregationis, quae suo Vicario, sicut praemittitur, destituta remanserit, in omnibus, & per omnia deficientis Vicarii Vices gerat, donec alter Vicarius à Magistro Generali supradicto fuerit institutus; teneaturque hic Pro-Vicarius statim de secuta hujusmodi Officii vacatione eundem Magistrum Generalem admonere, & ab eo novum Vicarium exposcere.

§. 7. Porro Vicarius pro tempore existens eandem prorsus Jurisdictionem, & auctoritatem habeat in Conventus, & Fratres suae Congregationis, quam juxta Apostolicas, & dicti Ordinis Constitutiones Priores Provinciales habent in suis Provinciis. Possit quoque idem Vicarius quoscunque Fratres Ordinis supradicti undecunque venientes suscipere, & eisdem de Conventibus praefatae suae Congregationis per deputationem, vel assignationem providere.

§. 8. Quod tamen criminosis, juxta dicti Clementis Praedecessoris decreta nullatenus prodesse poterit, non autem intelligantur iidem Fratres Congregationi hujusmodi incorporati, nec in Priores, aut Magistros Novitiorum institui valeant, nisi post quadriennium, eoque durante, si ad suos Conventus, vel Provincias redire voluerint, licentia eis abeundi liberè concedatur.

§. 9. Praeterea nulli ex Fratribus dictarum Congregationum, sive intra eas habitum susceperit, sive aliunde per quadriennium, ut praefertur, incorporatus fuerit, permittatur transire ad Conventus extra suam Congregationem, nisi de licentia Vicarii, una

cum Consilio sex graviorum Patrum ejusdem Congregationis, quae tamen licentia non facile detur, sed omnimoda diligentia, & charitatis officia adhibeantur, ut abire volentes in suscepro vitae instituto confirmetur; quod si adhuc in discedendi voluntate permanerint, tandem dimittantur, ne aliis impedimento sint.

§. 10. Decernentes easdem praesentes Litteras, & in eis contenta quaecunque, etiam ex eo quod quicunque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujuscunque status, gradus, ordinis, praeminentiae, & dignitatis existant, aliive quilibet, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificate, & iustificate fuerint, aut ex alia quacunque, quantumvis legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, ac nullitatis vicio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensu, aliive quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, individuaque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad viam, seu terminos juris, vel Constitutionum dicti Ordinis reduci, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis integritatem, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed easdem praesentes Litteras semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcunque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconculse observari, & adimpleri, Sicque; & non aliter in praemissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacunque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros; sublati eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & Auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis Auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provincialium, ac Conventuum hujusmodi, aliisque quibuscunque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac Constitutionibus, Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordini, & Provinciis, ac Conventibus, illorumque respective Magistro Generali, & Provincialibus, aliisque Superioribus, Fratribus, & Personis quibuscunque, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscunque, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, seu aliis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac etiam pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones Praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, serva-

Decreta roborantia.

Derogationes.

tis,

tis, & specificatis respectivè habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 12. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impres-
fis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ habe-
retur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel osten-
sæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub
Annulo Piscatoris, die 14. Junii Pontificatus Nostri
Anno Quarto.

J. F. Card. Albanus.

Fides
transum-
ptorum.

Dat. 14.
Jun. 1695.
P. A. 4.

LIX.

Declaratio quarundam Litterarum Innocentii XI. cir-
cà observantiam Vitæ Communis, aliorumque
præceptorum Regulæ pro Fratribus Ordinis Mi-
norum S. Francisci de Observantia emanatarum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **A** Liàs à fel. rec. Innocentio Papa XI. Præ-
decessore Nostro emanarunt pro Ordine
Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia
nuncupatorum Litteræ in simili forma Brevis tenoris,
qui sequitur, videlicet. Innocentius Papa XI.
Ad perpetuam rei memoriam. Sollicitudo Pastoralis
Officii, quo Catholica Ecclesiæ per universum Orbem
diffusæ regimini Divina dispositione præside-
mus, Nos urget, atque impellit, ut Religiosorum
Virovum Ordines ad Omnipotentis Dei gloriam,
& animarum salutem sapienti pietate ab hac Sancta
Sede institutos, magnisque in Ecclesiam Dei meritis
fulgentes, in sanctis, ac primævis eorum Insti-
tutis confovere, & conservare, ac à noxiis, quæ
primigeniæ religiositatis spiritum, atque vigorem
extinguere, & relaxare possent, tueri, & præmu-
nire, felicibusque illorum in via mandatorum Do-
mini progressibus consulere, quantum Nobis ex alto
conceditur, studeamus. Cum itaque (sicut accepimus)
in pluribus Capitulis Generalibus Ordinis Fra-
trum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupa-
torum, & novissimè in Vallisolerano, quod anno
1670. celebratum fuit, unanimi omnium Fratrum
Vocalium consensu, declaratum, & protestatum fue-
rit, in nullo Regulæ eorundem Fratrum Minorum
præcepto eatenus cum Fratribus Minoribus de Cor-
pore Observantiæ, sive Observantes, sive Reformati,
sive Discalceati, sive Recollecti dicantur, dispen-
satum fuisse, nec ipsum Observantiæ corpus ullam
unquam admisisse, vel admittere dispensationem in
Regulâ, sed potius velle pro viribus Divino favente
auxilio, illam purè observare, juxta Summorum
Pontificum declarationes, à Fratribus Observanti-
bus, seu de Observantia in suis Statutis Generali-
bus recopilatis pro Cisfontanis anno 1663. & pro
Ultramontanis Anno 1621. ac à Reformatis, Dis-
calceatis, & Recollectis in suis particularibus Consti-
tutis respectivè admissas, & receptas: Nos pro
majori hujus protestationis firmitate, & ut in Ordine
præfato Status, & Regulæ Fratrum Minorum purè
observetur, singulisque Fratribus prætextus eam
transgrediendi præcludatur, eandem protestationem,
& declarationem suprâ expressam harum serie aucto-
ritate Apostolica approbantes, & confirmantes, Mo-
tu proprio, ac ex certa scientia, & matura delibera-
tione Nostri, deque Apostolica potestatis plenitu-
dine tenore præsentium declaramus, omnes, & sin-
gulos Fratres de Corpore Observantiæ dicti Ordinis
teneri in conscientia observare Regulam Fra-
trum Minorum S. Francisci, & præcepta ejus à fel.
rec. Nicolao III. & Clemente V. Romanis Pontifi-

cibus Prædecessoribus Nostri exposita, & numera-
ta ad normam Constitutionum prædictarum respectivè,
& signanter, præter præcepta, quæ non ita
frequenter occurrunt, & recitationem Divini Offi-
cii, teneri ad jejunia præcepta in Regulâ, nisi ex-
cuset necessitas; ad incedendum sine calceamentis,
hoc est absque aliquo quod pedem cooperiat, cujus-
cumque illud materiæ sit, nisi adsit vera necessitas à
Præfato approbata; ad non equitandum, nisi in-
firmitas, vel necessitas judicio Superiorum probata
excuset; ad vilitatem vestium juxta prædictas
Constitutiones respectivè; ad non uten-
dum pluribus vestimentis, quàm illis, quæ Regu-
la præscribit, nempe unâ tunica cum caputio, & aliâ
sine caputio, chordâ, & femoralibus: nam aliud
quodvis vestimenti genus ultra prædicta (excepto
mantello ab initio Religionis licito) ut indusia, seu
camisæ, sudariola, tunicellæ, & similia sunt contra
Regulam, nisi adsit vera necessitas excusans à præ-
cepto per Prælaturam approbata: Ac demùm teneri
ad capitale præceptum Religionis Fratrum Minorum
de non recipiendis denariis per se, vel per inter-
positam personam. Aliarum enim rerum neces-
sariarum possunt Fratres Minores de Corpore Ob-
servantiæ hujusmodi habere usum, licet non domi-
nium; denariorum autem, nec dominium, nec
usum, & proinde quævis contrectatio pecuniæ, seu
denariorum, quæ non sit purè naturalis, seu quæ sit
quovis modo politica, cujuscumque domini sint de-
narii, seu pecunia, Fratribus Minoribus Observan-
tibus, seu de Observantia est omnino prohibita.
Ac propterea omnes, & singulas dispensationes,
concessiones, & consuetudines, si quæ contra præ-
missa in Corpore Observantiæ Ordinis prædicti re-
periantur, motu, scientia, deliberatione, & pote-
statis plenitudine paribus earundem tenore præsen-
tium revocamus, callamus, irritamus, & annullamus,
viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus,
ac revocatas, cassatas, irritas, & nullas, viribusque,
& effectu penitus, & omnino vacuas esse & perpetuò fore decernimus, & declaramus,
Declarantes tamen pariter, quod per præmissa non
prohibentur in dicto Ordine Syndici Apostolici, cum
eorum usus non sit dispensatio in Regulâ, sed mo-
dus à Romanis Pontificibus Prædecessoribus No-
stris provisorius pro puriori illius observatione, sive
ejusmodi Syndici assumantur ad præscriptum Con-
stitutionum Nicolai III. & Clementis V. Præde-
cessorum præfatorum, sive secundum dispositionem
Constitutionum rec. mem. Martini IV. & Martini
V. ac Pauli IV. Prædecessorum pariter Nostrorum,
prout illorum usus in singulis Familiis, Congrega-
tionibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis
prædicti respectivè fuerit receptus. Ut autem in
ingressu Religionis unusquisque de obligationibus,
quas assumere vult, plenè informetur, statuimus,
ut nullus recipiatur ad habitum regularem in eo-
dem Ordine, nisi prius plenè informatus sit de præ-
dictis præceptis Regulæ obligantibus in conscien-
tia, & præviâ hac notitiâ, velit probationem sub-
ire: nec quisquam admittatur ad professionem regu-
larem, nisi prius examinatus sit de intellectu Regu-
læ, & præceptorum ejus, juxta prædicta, &
deinde immediatè ante illam coram tota Communi-
tate fiat ei protestatio, quod ad observantiam Regu-
læ cum omnibus ejus præceptis, tunc enumeran-
dis, & exprimendis, obligetur in professione, eam-
que protestationem admittat, & sub ea professio-
nem faciat. Quia verò efficacius prædicta obser-
vandi medium est exemplum Prælatorum, sive Su-
periorum, ideo statuimus pariter, neminem eligi
posse in Prælatum, sive Superiorem in Ordine præ-
dicto, qui vitam communem Observantiæ non se-
quatur, hoc est, qui frequenter equitet, seu infir-
mitatem, quâ ab obligatione pedibus incedendi ex-
cusetur, habeat; qui indusiis, seu camisis, aut
lineis utatur apud se, vel in lecto, qui calceatus
incedat, qui jejunia Ecclesiæ, & Regulæ non
observet, qui aliquando ausus sit contrectare pe-

Dispensa-
tiones con-
trarie cas-
santur.

Declaratio
usui liciti
Syndicorum
Apost.

Recipien-
di infor-
mentur de
præceptis
& in pro-
fessione
fiat prote-
statio.

Quando
inobser-
vantia
præcepto-
rum indu-
cat ineli-
gibilitatem
ad Prælaturas
Ordinis.

cunias

Tenor Bre-
vis Inno-
centii XI.

Exordium
à Pastoralis
sollicitudi-
ne in con-
servandis
Ordinibus
Regulari-
bus in spi-
ritu primi-
tivo.

Protesta-
tio Capitu-
lorum Ge-
neralium
de non ad-
missa, ne-
que admit-
tenda dis-
pensatio-
ne in præ-
ceptis Re-
gulæ.

Approba-
tio hujus
protesta-
tionis, &
obligatio
in conscien-
tia. Et
specifican-
tur præce-
pta Regulæ